AUTHOR:

BOUVY, EUGENE

TITLE:

DE VICO CARTESII ADVERSARIO

PLACE:

PARIS

DATE:

1889

Master Negative #

92-80542-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Bouvy, Eugène 1859-
De Vico Cartesii adversario
Paris, Hachette 1889 0 67 + [1] p.

Doctor's dissertation at Paris university

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-3-92 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE

VICO CARTESII ADVERSARIO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

EUGÈNE BOUVY

DOCTOR IN JURE

BURDIGALENSIUM FACULTATUM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

1889

DE

VICO CARTESII ADVERSARIO

DE

VICO CARTESII ADVERSARIO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

EUGÈNE BOUVY

DOCTOR IN JURE

BURDIGALENSIUM FACULTATUM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

1889

DE VICO CARTESII ADVERSARIO

PROŒMIUM

Singularis, etsi non notissimus, Cartesii adversarius fuit Joannes Baptista Vicus.

Audax enim ingenio vir, cum philosophando novas et proprias vias quæreret, Cartesii instar, scholasticis parum indulsit ; avitæ religioni haud minus addictus, nec *orthodoxiam* mediocriter curavit, nec *heterodoxiæ* crimen effugit. Item a recentioribus scepticis atque epicureis longe abhorruit. Quin imo Cartesium illum, quem impugnabat, magni fecit, et cum cartesianis quibusdam familiariter vixit. Denique non negativus, verbi gratia, adversarius constitit, cujus esset sola cura cavillationibus adversarium circumvenire : at philosophus et propria placita de litigiosis habuit, et pro tempore nova proposuit. Idcirco ex lite cartesiana apud Vicum describenda exit duplex utilitas : et quod unum ex obscurissimis necnon luce dignissimis cartesianæ philosophiæ in Italia momentis illustratur, et quod in definiendo quem locum illæ doc-

trinæ in Vici mente scriptisque obtineant, italici philosophi opiniones penitus magis introspiciuntur.

Hujus quidem tam notitia digni conflictus historia nondum scripta est. Cujus adumbrationem tantum aut fragmenta quædam hic illic sparsa reperias in scriptis quæ vel ad philosophiam Vici (1), vel ad cartesianarum doctrinarum historiam (2), vel ad italicas litteras (3), vel ad philosophicam quamdam disputationem (4) spectant. Gravitas autem quæstionum, solutionum quas Vicus proposuit novitas aliquandoque soliditas illud opus suscipienti legem quodammodo faciunt, ut et expositioni justum locum assignet, et criticæ. Præterea illam criticam decet non adeo amplis argumentis explicari, ut tractatus quidam de litigiosis hic liber evadat, nec omnino pura illa, quam titulus promittit, philosophicæ cujusdam litis historia.

(1) Præsertim confer : Ferrari : *La mente di G. B. Vico,* parte II, cap. 1 (Milano, 1835). — Michelet : Introduction aux *Œuvres choisies* de Vico (Paris, 1835). — Labanca : *Il genio di Vico,* passim (Chieti, 1865). — Aeri : *Della teoria delle idee secondo G. B. Vico* (Bologna, 1873). — Galasso : *Criterio della verità nella scienza e nella storia secondo G. B. Vico* (Milano, 1877). — Werner : *Giambattista Vico als Philosoph und gelehrter Forscher* (Wien, 1881).

(2) Fr. Bouillier : *Histoire de la philosophie Cartésienne,* t. II, chap. 22.

(3) De Sanctis : *Storia della letteratura italiana,* t. II, p. 303 s. (Napoli, 1873).

(4) Balmès : *Philosophie fondamentale,* trad. Manec, t. I, ch. 30 et 31 (Paris, 1874). — Robert : *De la certitude et des formes récentes du scepticisme,* p. 481-483 (Paris, 1881).

I

LITIS ORIGINES : PRIMA VICI STUDIA

In propriis Vici studiis causæ sunt cur Cartesio ille adversatus fuerit; quas in opusculo quodam parum vulgato condidit, inscripto : *Vita di Giambattista Vico scritta da sè medesimo,* quod non tam obscuræ vitæ relatio fit, quam cogitationum ac mentis historia.

Autodidascali cognomen ab æquali suo Gregorio Calopresio, cartesiano, collatum, haud immerito gloriatur (1). Sexdecim enim annos natus, postquam, confectis scholis, in Universitate neapolitana juri dederat operam, et infelix caussarum patronus foro recesserat, in docendis aliis, seu in Vatollæ solitudine nobilium puerorum præceptor (1685-1694), seu eloquentiæ in alma matre Universitate lector (1697-1744 †), tum propriam numerosæque familiæ substantiam, tum sui ipsius sine magistro docendi otium et commoditatem quæsivit. Solus ita humanarum doctrinarum ordinem percurrit, ac theologiam, litteras antiquas recentioresque, ethicam, mathematica, physicam, metaphysicam non inconsulte quidem, sed propriam viam quærens, adortus est. At triplici studio videtur a juventute

(1) *Vita,* p. 15. — Cum nulla sit hujus vitæ divisio, ad editionis *Ferrarianæ* paginas refertur.

potissimum indulsisse, quæ triplex evadit causa cur a Cartesio dissenserit.

Antiquos scriptores primum, humanitate versatissimus, in amore eximios habet, et linguarum, præsertim latinæ, studio incumbit. Platonicam postea philosophiam, cujus adolescens in magistri Riccii disciplinis lineamenta prima religiose perceperat, ceteris omnibus anteponit ; quam non in ipso Platonis operum græco tenore, sed apud neo-platonicos ætatis sextæ decimæ, Marsilium Ficinum, Picum Mirandulanum, Mazzonium, Piccolominæum, latine translatam discit, ac variis commentariis illustratam (2). Tertia denique Vici studia ad jurisprudentiam spectant; quam non æqualium more argutiis verborum tractat, sed nova prosequendo, id est et rationes æqui et boni quibus romani prudentes jus romanum ad tantam perfectionem promoverint, et eximiam linguæ latinæ habilitatem ad juridicas quæstiones tractandas (3).

Auctores illi familiares cum Platone sunt Tacitus, Baconus, Grotius (4). In Tacito humanæ naturæ illam effigiem, quam apud Platonem in honesti idea perfectam sed abstractam invenerat, imperfectam quidem, sed rei congruentem reperit. A Bacono, Taciti laudatore, antiquitatis interpretationem et scientiarum augmenta, a Grotio postea juris gentium ordinandi rationes petit. Illud vero triplex studium, illa familiaritas olim in unum et idem convertetur, scilicet in instaurationem novæ

(2) *Vita*, p. 12.
(3) *Ib.*, p. 4.
(4) *Ib.*, p. 10.

cujusdam scientiæ, quæ nascentium crescentiumque et pereuntium nationum leges inveniendas sibi proponat, philologiamque et philosophiam pariter ad exsequendum finem adhibeat.

Tali mentis habitu Valtollæ solitudinem Vicus relinquit, a Cartesio et cartesianis doctrinis quam remotissimus. Neapolim redux, illico et Cartesium cernit in patria florentem, et intervallum quod inter se et Cartesium latum patet, permetitur. Vix antea gallicum philosophum noverat : juvenis enim in paterna librorum taberna Henrici Regii *Fundamenta physicæ*, quod postea ipsius Cartesii opus falso credidit, tantum perlegerat ; repertis deinde in valtolliana bibliotheca physicis ejusdem libris, pauca quæ in iis viderentur bona, in Platone jampridem inventa esse notaverat (5).

Nunc undique Cartesii opera, undique sectatores pullulescunt, ne obscuri quidem, sed magni ponderis et ingenii : inter quos Fardella, non minus eruditione quam Leibnitii epistolis spectatus; Gregorius Caloprcsius, in universitate cartesianam philosophiam docens; Paullus Doria, Vici familiaris et protector. Evanuerunt pauci qui Platonis religionem in Italia servabant, ipsique aristotelici ac scolastici auctoritate quatiuntur (6). Quo constat ista nova philosophia ceteris tam perniciosa ? Hanc altius Vicus perscrutatur : antiquos scriptores atque humanas artes Cartesius contemnit, Adami scientia sibi principio contentus; quin etiam cognitionis omnis principium ador-

(5) *Ib.*, p. 11.
(6) *Ib.*, p. 13.

tus stabilire, hominem a genere humano segregat; ethicam in rationis vel medicinæ quæstionem reducit, et de jure et de republica paulum abest quin taceat; Providentiæ cuncta ex idea platonica boni in bonum finem regenti fatalem « mechanicarum » legum ordinem opponit. Tam insolito procedendi modo offensus Vicus oculos centum annos prius vertit, et Italiam, nunc sine ulla laude propria cartesianam, olim platonicam, et litteris et scientiis extraneas nationes respicit antecedentem. Galilæum præsertim meminit ad promovendam physicam rationes invenisse et adhibuisse cartesianis longe præstantiores. Futura deinde prospiciens, novam hanc hominis scientiam, quam ex humani generis notitia eruere intendit, periclitantem cernit, cum numeris et punctis et lineis omnis deinceps scientia constare debeat. Tunc, proprio motu, propriis rationibus, Cartesio illi, quem sibi præcipuum in exsequendo proposito impedimentum fore intelligit, bellum indicit.

II

Quem locum cartesianus conflictus in Vici mente scriptisque obtineat.

Consilio tenax, Cartesio per omnem vitam Vicus obsistet. Verborum quidem intemperantiam, indole placidus, nunquam admittet. Sed singulatim, indesinenter, ubique, et in *Vita*, et in litteris, et in academicis sermonibus, et in philosophicis tractatibus adversarium suum insectabitur. Tria autem ejus opera præsertim ad hunc conflictum spectant : prima oratio *De nostri temporis studiorum ratione*, Neapoli in academia quadam habita anno MDCCVIII, cartesianam philosophiam ex effectibus confutat, novamque methodum scientiis, artibus, litteris, juvenilibus studiis magno detrimento admotam ostendit. Secundus metaphysicus brevis quidam constat tractatus, prima solaque confecta pars operis quod inscribitur : *De antiquissima Italorum sapientia ex originibus linguæ latinæ eruenda*. Hic artius adversarium urget : Cartesii enim et de cognitione doctrinam et metaphysica principia et methodum in se introspicit, et simul confutationem propriis sæpiusque novis placitis confirmat. Quod opusculum, anno MDCCX typis mandatum, accuratissime a venetiano diario : *Giornale de' letterati*

d'Italia, in quo Apostolus Zeno, Scipio Maffeius Antoniusque Vallisnerius ingenio summo scribebant, fuit perpensum. Provocatus autem Vicus respondere non dubitavit : italice quamdam *Risposta* scripsit, a diario paulo post in novis *Observationibus* dijudicatam, et iterum contra *Observationes* alteram *Risposta* direxit, quæ cum priore fit expletum libri commentarium, et Vici animadversiones in Cartesium explicando enucleat. Hæc autem disputatio (1), sermone urbanissima, in litigantibus parem ingenii vim atque eruditionem, in Italia haud contemnendam cogitandi laudem superstitem testatur.

Tertius liber, duobus ceteris viginti prope annis posterior, quo cartesianis doctrinis præsertim obstitit, nihil aliud nisi ipsa *Scientia nova* est. Tunc Vicus, qui ad extremum cogitationum cursum pervenit, ingenii plane compos, ne Cartesii nomen quidem amplius pronuntiat, sed antiqui adversarii rationes minime dubio sermone petit. Hanc petitionem præterea in privatis epistolis confirmat (*Lettere al P. Bern. Mar. Giacchi cappucino*, 14 jul. 1720, 27 ott. 1721; *Risposta al P. Ed. de Vitry, della comp. d. Gesù*, 20 jan. 1726; *Lettera al sig. don Francesco Solla*, 12 jan. 1729; *a D. Tommaso Rossi*, 7 maj. 1735; *Discorso per un annuale apertura dell' Academia istituita dà D. Niccolò Salerni*, 1736; *Risposta a Monsignor Muzio Gaeta, arciv. di Bari*, 1737) (2). Quibus

(1) Diarii censuræ necnon Vici replicationes in editione *Ferrariana* librum *De antiquissima Italorum sapientia* sequuntur.

(2) Vico, *Opere*, ed. *Ferrari*, t. VI.

temperamento omni rejecto, Cartesium aperte aggreditur, et nefastis ejus doctrinis crimini dat *Scientiæ novæ* in lucem prodeuntis fortunam miserandam. Vici autem censuræ, forma multiplices, ab uno procedunt et ad unum sunt reducendæ, scilicet ad id cujus eleganter dictum est philosophiam cartesianam esse simul et fructum et commentarium et comprobationem : ad *methodum* (3). Ideo ostendetur censor in sequentibus chartis primum hujus methodi principium impugnans in cognitionis humanæ fundamento, scilicet in certitudine ejusque criterio; postea methodum ipsam petens et metaphysicæ, et scientiis quæ experientia progrediuntur, et postremo huic quam *civilem* scientiam Vicus appellat, applicatam. Non incipiendo prætermittendum quod jam antea dictum est : Vicum non censorem tantum exstitisse, sed conditorem, qui non solum cartesianas doctrinas evertere, sed et iis proprias subrogare tentavit.

(3) Liard, *Descartes*, lib. I.

d'Italia, in quo Apostolus Zeno, Scipio Maffeius Antoniusque Vallisnerius ingenio summo scribebant, fuit perpensum. Provocatus autem Vicus respondere non dubitavit : italice quamdam *Risposta* scripsit, a diario paulo post in novis *Observationibus* dijudicatam, et iterum contra *Observationes* alteram *Risposta* direxit, quæ cum priore fit expletum libri commentarium, et Vici animadversiones in Cartesium explicando enucleat. Hæc autem disputatio (1), sermone urbanissima, in litigantibus parem ingenii vim atque eruditionem, in Italia haud contemnendam cogitandi laudem superstitem testatur.

Tertius liber, duobus ceteris viginti prope annis posterior, quo cartesianis doctrinis præsertim obstitit, nihil aliud nisi ipsa *Scientia nova* est. Tunc Vicus, qui ad extremum cogitationum cursum pervenit, ingenii plane compos, ne Cartesii nomen quidem amplius pronuntiat, sed antiqui adversarii rationes minime dubio sermone petit. Hanc petitionem præterea in privatis epistolis confirmat (*Lettere al P. Bern. Mar. Giacchi cappucino*, 14 jul. 1720, 27 ott. 1721 ; *Risposta al P. Ed. de Vitry, della comp. d. Gesù*, 20 jan. 1726 ; *Lettera al sig. don Francesco Solla*, 12 jan. 1729 ; *a D. Tommaso Rossi*, 7 maj. 1735 ; *Discorso per un annuale apertura dell' Academia istituita dà D. Niccolò Salerni*, 1736 ; *Risposta a Monsignor Muzio Gaeta, arciv. di Bari*, 1737) (2). Quibus

(1) Diarii censuræ necnon Vici replicationes in editione *Ferrariana* librum *De antiquissima Italorum sapientia* sequuntur.

(2) Vico, *Opere*, ed. *Ferrari*, t. VI.

temperamento omni rejecto, Cartesium aperte aggreditur, et nefastis ejus doctrinis crimini dat *Scientiæ novæ* in lucem prodeuntis fortunam miserandam. Vici autem censuræ, forma multiplices, ab uno procedunt et ad unum sunt reducendæ, scilicet ad id cujus eleganter dictum est philosophiam cartesianam esse simul et fructum et commentarium et comprobationem : ad *methodum* (3). Ideo ostendetur censor in sequentibus chartis primum hujus methodi principium impugnans in cognitionis humanæ fundamento, scilicet in certitudine ejusque criterio ; postea methodum ipsam petens et metaphysicæ, et scientiis quæ experientia progrediuntur, et postremo huic quam *civilem* scientiam Vicus appellat, applicatam. Non incipiendo prætermittendum quod jam antea dictum est : Vicum non censorem tantum exstitisse, sed conditorem, qui non solum cartesianas doctrinas evertere, sed et iis proprias subrogare tentavit.

(3) Liard, *Descartes*, lib. I.

III

De certitudine ejusque criterio.

Cum novam ratiocinandi methodum meditatur Cartesius, primum quidquid antea pro vero habebat in dubium vocat; postea verum quid quærens cujus dubitatio nulla sit, quod et omnis certæ cognitionis principium fiat et ideo « verum primum » (hæc enim propria Vici verba sunt) dici possit, illud ex sua ipsius cogitantis conscientia colligit; postremo quo tutiore gradu in investigando vero progrediatur, evidentia, id est clara ac distincta rerum idea, tanquam criterio certitudinis utitur. In hoc autem triplici cartesianæ methodi principio Vicus insistit. Quid ergo de triplici quæstione primum apud Cartesium, postea pro sua parte senserit, quid postremo ejus argumenta excogitataque valeant, est nunc absolvendum.

I. Ex origine litis anticartesianæ apud Vicum facile intelligitur quam ob causam ille omni sceptico animi statui, licet transitorio, admittendo repugnaverit. Nil affert librorum studiosus, nil antiquitatis peritus philosopho, qui in evertendo cujusvis anterioris cognitionis ædificio instaurandæ scientiæ primam ponit conditionem. Cum libenter intellectus alieni auxilium omne rejicit, ne casu nimium frequenti in errorem inducatur, videtur

Cartesius adversario non errorem tantum, sed veritatem ipsam fugere. Quod si philosophos erravisse constat, ex hoc argumentum recte capietur ut acrius eorum excogitata perpendamus, errataque, si fieri potest, corrigamus, non ut ipsas investigandi rationes et materiam in universum repudiemus. Quod ad « fallacis genii » fictionem spectat, puerilem hanc, Gassendi instar, nec majoris quam stoicorum « somnium » ponderis esse Vicus existimat (1).

Cogito, ergo sum : ita a dubio in certum se transvehi Cartesius arbitratur. Ex innumeris quæ ab edito *Sermone de methodo* ad Vici tempora pullulaverint hujus formulæ censuris, duplex confutandi ratio quasi permanet : altera, quæ apud æquales Cartesii plus valebat, in celebri enthymemate vitiosum syllogismum reperit, cujus propositio major, scilicet : *ut cogitem oportet prius sim*, caret probatione. Altera a Gassendo indicata potius quam admissa, ab Huetio postea resumpta, nudam hanc propositionem constare profitetur, cujus ambo termini unum et idem sint, nisi forte secundus *(esse)* in primo *(esse cogitans)* contineatur, imo vim habeat minorem. Itaque aut affirmat Cartesius quod non probat, aut quod prius affirmabat, repetit, neque ideo in certa rerum notitia progreditur.

Quidquid de priore objectione sentit, Vicus non in ea commoratur; posteriorem vero retinet, et propriis ac pro tempore novis argumentis explicando suam facit.

Quod si in litigiosa formula Cartesius ipsum cogitationis factum affirmare satis habuisset, in hoc Vicus nihil inve-

(1) *De antiquissima*, I, II, 3.

niret reprehendendum. Conscientiam enim existentiæ signum haud difficulter admittit. At ne uno quidem gradu ita se in veritate processisse arbitratur, cum ex hoc signo non erudiatur quid sit existere. Neque aliud prorsus in hoc enuntiatum sibi videtur, quam factum vulgare et quotidiano usu perhibitum, cujus nulla vis logica major sit quam Sosii verborum in Amphitryone plautino exclamantis :

Sed *quom cogito* equidem *certo idem sum* qui semper fui !

At non ita de suo principio sentit Cartesius : quod « verum primum » esse profitetur, vulgare simul ac reconditum, scientia non minus quam experientia constans, metaphysicum omnis cognitionis humanæ principium. Hinc exoritur discrimen. Affirmat quidem Vicus (ad exemplum Cartesii) verum quoddam primum esse requirendum; illud verum metaphysicum quid esse concedit, cum Metaphysica omnis scientiæ principium continere debeat. At philosopho nullo pacto admittendum putat, illud « rarum verum et exquisitum » nudo quodam conscientiæ facto constare (2). Ex conscientia enim cogitandi nec *cogitare* nec *esse* quid sit, scimus.

Quid est enim scire ? Ideam omnis existentiæ, inde omnis scientiæ originem esse Plato docet. Magistri autem ingeniosus interpres his verbis Vicus utitur : « *Scire* est tenere genus seu formam quo res fiat ; *conscientia* autem est eorum quorum genus seu formam

(2) *Ibid.*, I, II, 5.

demonstrare non possumus... ; quanquam conscius sit scepticus se cogitare, ignorat tamen cogitationis causas, sive quo pacto cogitatio fiat, idque adeo nunc se ignorare profiteretur, cum in nostra religione animum humanum omni corpulentia purum quid esse profiteamur » (3). Quod igitur si priusquam immateriale quoddam principium in se cogitans admiserit, scepticus interrogaverit quomodo principium illud munere fungatur, nihil aliud cartesiani metaphysici nisi inauditas hypotheses invenient : « ad occultam Dei legem tanquam ad machinam confugiunt, et fingunt mentem humanam tanquam araneum, ita in conario, ut ille in suæ telæ centro quiescere ». (4) Idearum visionem apud Deum insolita quadam Platonis ac Cartesii consociatione fingit Malebranchius ; neque pronuntiatum hoc : *cogito, ergo sum* ita contra se retorquendum videt : « Ex eo quod Deus in me ideas creat, [Malebranchius] conficere potius debeat : *Quid in me cogitat ; ergo est : in cogitatione autem nullam corporis ideam agnosco : id igitur quod in me cogitat, est purissima mens, nempe Deus* » (5). Ergo cogitans ego Deus sim ! Ex quibus patet cartesianos ignorare genus quo cogitatio fiat, nec rogitanti sceptico « *cogitare* quid sit » posse explanare.

Pariter cogitationis conscientia scientiam entis, scilicet *esse* quid sit, non suppeditat. Contradicit vero Cartesius hoc fere argumento : a cogitandi conscientia cer-

(3) *Ibid*, I, II, 5-6.
(4) *Ibid*, I, II, 6-7.
(5) *Ibid.*, VI, 4.

tum evadit existentiæ factum ; « nec quis certus omnino esse potest, quod sit, nisi esse suum ex re conficiat de qua dubitare non possit ». E testimonio conscientiæ semel admisso Entis exhauritur certa cognitio. At illud postulatum, neque ullo modo demonstratum, conscientiæ testimonio minime rejecto, scepticus facile demonstrabit. Scire enim est « nosse causas ex quibus res nascatur : at ego qui cogito mens sum et corpus, et si cogitatio esset causa quod sim, cogitatio esset causa corporis : atqui sunt corpora, quæ non cogitant.... enimvero cogitare non est causa quod sim mens, sed *signum*. Atqui *tecmerium* causa non est : tecmeriorum enim certitudinem cordatus scepticus non negaverit, caussarum vero negaverit » (6).

Ergo e duobus vocabulis : *cogitare*, *esse*, neutrum explanatur : vagum quamvis certum conscientiæ phænomenon antea sicut postea permanet : ex quo cum metaphysicum principium vult sumere, ut de rerum et de suimetipsius essentia ratiocinetur, incidit Cartesius in paralogismum : existentia enim et essentia sibi omnino discrepant, nec unius certitudo ad alterius scientiam ducere potest.

E rebus confusis confusa verba fiunt. Non equidem in antiqua disputatione de duobus verbis « *ergo sum* » commoratur Vicus, sed in Cartesio duplicem verborum improprietatem notat. Etenim principio de homine metaphysico sermone proprie dicendum fuisset non quod *est*,

(6) *Ibid.*, I, II, 9.

sed quod *existit ;* cum *exsistere*, scilicet *sistere ex* (italice *esservi*, *esser sorto*, *star sovrà)* contingens et exterius quiddam indicet, *esse* autem quod per se stat, *subsistere (substantia)* quod *stat sub* atque intus, scilicet cujusquam rei essentiam exprimat. Item cum ab existentia sua Dei existentiam Cartesius colligit, in secundam verborum improprietatem cadit : « quia de eo quod existo, Deus non *existit*, sed *est*. » Itaque si principio : «*ergo existo*» proprie dixisset, ratiocinationem hanc extemplo excivisset : Existo, « ergo res stat quæ me sustinet, scilicet substantia : substantia autem secum affert ideam sustinendi, nec esse sustenti ; ergo per se est ; ergo æterna et infinita ; ergo mea essentia Deus est, qui meam cogitationem sustinet.... Mea autem existentia metaphysice ratiocinando falsa evadit quando ab illa ad Deum perventum est » (7).

Attamen in caduco hujus « primi veri » fundamento Cartesius et metaphysicam et scientiam non dubitat instaurare. Obscurum enim existentiæ suæ factum profitetur omnium evidentissimum, et hac prima evidentia tanquam ebrius, « claram et distinctam ideam » criterium certi proponit. At Vicus : « Quonam pacto clara ac distincta mentis nostræ idea veri regula sit, nisi ea quæ in re insunt, ad rem sunt affecta, cuncta perspexerit ? Et quanam ratione quis certus sit omnia perspexisse, nisi per quæstiones omnes, quæ de re proposita institui possunt, sit persecutus ? » Priusquam ideo aut affirmetur aut

(7) Prima *Risposta*, III.

negetur, (quod est *criticæ* proprium), penitus noscendum est; est autem ars quædam priscis pernota, a Cartesio neglecta, quæ hunc finem sibi proponit : *topica*. Aristotelis prædicamenta, tam inutilia, si quis invenire nova velit, quam ars Lulliana, præstantissima contra videntur « tanquam indices et alphabeta quærendorum de re proposita » (8). Itaque evidentiæ criterium, quale a Cartesio porrigitur, pura constat provocatio ad sensum individuum, scilicet ad incertissimam omnium facultatem, animosque ad pigritiam invitat, cum vanas esse profiteatur investigationes quæ scientiæ ipsa conditio sint. Confectum damnum frustra Cartesii discipuli, Arnoldus artem cogitandi componendo, Malebranchius causas errorum describendo avertere tentabunt : longo durante seculo doctrinas inter se pugnantes ideæ claræ ac distinctæ criterium facili quidem, sed precaria cautione obumbrabit.

Hæc confutationis cartesianæ apud Vicum constat pars tantum negativa : quæ ejus propriis doctrinis accessio fit ac confirmatio, ipsaque iisdem doctrinis confirmatur : cum necessitatem « primi veri » cujusdam admiserit, hoc ipse suis viribus constituere, certæque rerum notitiæ firmius fundamentum præstare adoritur.

II. Genus humanum, nedum Cartesii instar, fugit, contra sollicitus invadit atque interrogat, nec dubitat quin hanc veri regulam, a cunctis sapientibus antea frustra quæsitam, apud illud reperiat. Omne verum aut verisi-

(8) *De antiq.*, VII, v, 6-7.

mile, omne factum aut documentum nedum *a priori* pro nihilo habet, religiose colligit tanquam intelligentiæ humanæ, cujus ipse particeps est, pretiosa testimonia. Constitit enim totius vitæ suæ cura philosophiæ philologiam firmamentum adsciscere; quod opus in postremo ejus libro *Scientia nova* perficitur : sed jam in metaphysico sermone *de antiquissima Italorum sapientia* apparet ingeniose susceptum. Hujus opusculi primam intentionem ab auctore familiari suo tenet Platone, qui Græcorum sapientiam in *Cratylo* græcis vocabulis assequi studuerat. Italus patria, Latinorum studiosus admirator, ac latinæ linguæ peritissimus, ex ipsis vocabulorum originibus metaphysicam omnem eruere Vicus adoritur (9).

Primum autem hujus novæ metaphysicæ propositum « verum primum » invenire constat, et certi criterium definire. In antiquissimo sermone latino notat Vicus *verum* ac *factum* sæpius unum pro altero verbo fuisse adhibita : ex quo concludit ad hunc usum veteres Latinos observatione esse adductos : nempe verum nihil aliud est quam quod facimus. Deus, *infinitus factor*, *verum primum* constat; Deus, omnis rei *factor primus*, elementa rerum uno visu percipit, omnia plena luce intelligit; Deus, rei omnis *causa*, perfectam omnis rei, id est *effecti*, seu *facti*, comprehensionem habet : in Deo primum verum, uno actu genitum et cognitum, ut theologiæ christianæ sermo adhibeatur, *Verbum* est. Mens autem humana externa extraneorum objectorum elementa percipit, nec

(9) *Ibid.*, procemium.

uno visu, nec sine conatu : *cogitat*. Anatomiæ quodam labore elementa rerum sejungit : *dividit;* inde diversæ omnes scientiæ quæ in Deo unum sunt ; *ratiocinatur :* quod autem in nobis *ratiocinatio* in Deo *actus* et *operatio* est. Itaque humana scientia humanam imperfectionem testatur (10).

At quomodo hæc nascitur scientia ? Labore quodam scientiæ divinæ simili, id est creatione, aliis verbis, verum faciendo ; unde factum veri criterium. At quomodo verum ipsi nos faciamus ? Abstractione, omnis humanæ scientiæ genitrice. Certissimam omnium scientiarum exemplum capiamus : mathematicam. Cujus ad tam exacta quam remota principia non ex solis perceptionibus ac mensuris suis ratio perveniret. Quid tunc agit ? E puncto et uno, qualia in natura inveniuntur, punctum et unum abstrahit mathematica ; quibus in infinitum multiplicatis, sibi abstractione mundum figurarum ac numerorum fingit, — id est quantitates et potentias, — lineas et superficies et solidos ; — et omnia hujus mundi elementa a se extracta simul pernoscit cum facit : ita exactas punctorum et numerorum relationes, seu verum mathematicum, faciendo definit, nec « fieri potest quin faciat vera quæ cognoscit. » Item in physica « ea meditata probantur, quorum simile quid operemur, et ideo præclarissima habentur de rebus naturalibus cogitata, et summa omnium consensione excipiuntur, si iis experimenta apponamus, quibus quid naturæ simile faciamus » (11).

(10) *De ant.*, I, I.
(11) *Ibid.*, I, I, 17.

Itaque simul et Deum primum verum Vicus definit, et factum veri criterium. Inde rursus sese in cartesianum criterium convertens, claram et distinctam ideam notat nec veri nec mentis ipsius esse regulam, « quia dum se mens cognoscit non facit, et quia non facit, nescit genus seu modum quo se cognoscit » (12).

Item e facto veri criterio notandam Vicus scientiarum ordinationem colligit ex abstractionis gradu conceptam. Cum enim scientia humana ipsius Vici sermone « nata, sit ex mentis nostræ vitio », eæ certissimæ sunt « quæ originis vitium luunt, et operatione scientiæ divinæ similes evadunt ». Prima ac certissima omnium revelata Theologia erit, qua Deus sui ipsius causa se cognoscit. Omni scientia ab abstractione procedente, tanto minus certa unaquæque evadet, quanto difficilius a materia, qua involvitur, abstrahi potuerit. Linearum ac numerorum scientiæ, Geometria et Arithmetica, primum locum observabunt ; secundum Mechanice, « quia considerat motum, sed machinarum ope » ; tertium Physica ; postremum Moralis, « quia Physica considerat motus internos corporum, qui sunt a natura, quæ certa est ; Moralis scrutatur motus animorum, qui penitissimi sunt, et, ut plurimum, a libidine, quæ est infinita, procedunt » (13). Imo, stricto sensu Mathematicam solam decet scientiæ nomen, quia sola illa « operatrix » est, sola « per causas probat » ; ceteræ contra notitiæ quædam

(12) *Ibid.*, I, I, 15.
(13) *Ibid.*, I. I, 16.

tantum sunt, « aut indubitatis indiciis asseveratæ, aut probabiles factæ, aut verisimiles » (14).

Neque ipsa Physica scientia proprie constabit: physicus enim nec in se habet, nec inde cognoscit essentiam rerum, nec « potest res ex vero definire » aut « ex vero facere » (id enim fas Dei est, nefas homini) (15), sed exteriora tantum et singularia attingit.

« Volete insegnarmi una verità scientifica ? Assegnatemi la cagione che tutta si contenga dentro di me, sicchè io mi intenda a mio modo un nome, mi stabilisca un assioma del rapporto che io faccia di due o più idee di cose astratte, e in conseguenza dentro di me contenute; partiamoci dà un finto indivisibile, fermiamoci in un imaginato infinito, e voi mi potrete dire : fa del proposto teorema una dimostrazione, che tanto è a dire quanto: fa vero ciò che tu vuoi conoscere; ed io, in conoscere il vero che mi avete proposto, il farò, talchè non mi resta in conto alcuno da dubitarne, perchè io stesso l'ho fatto. Il Criterio della *chiara e distinta percezione* non mi assicura della cognizione scientifica, perchè, usato nelle fisiche e nelle agibili cose, non mi dà una verità dell'istessa forza che mi dà nelle Mathematiche. Il Criterio del far ciò che si conosce me ne dà la differenza; perchè nelle Matematiche conosco in vero col farlo, nelle Fisiche e nelle altre va la cosa altrimenti » (16).

His argumentis, quæ ex proprio fundo hauriuntur, Vicus

(14) *Risposta* II, § 4.
(15) *De ant.*, I, II, 12.
(16) *Risposta* II, § 4.

cartesianæ philosophiæ prima principia petit. Nunc et objectiones et excogitata simul quid valeant manet perpendendum.

III. Notanda primum est venetiani diarii opinio qua prisca latina philosophia non in verbis latinis, sed potius in raris quæ supersunt etruscæ sapientiæ vestigiis, aut in monumentis philosophiæ græco-italicæ fuisset requirenda (17). Multo commodius quidem opus, multo felicius; sed non ita Vico visum erat, qui libenter doctrinas e sermone eruendas sibi proposuerat, et rationes inveniendas « come i concetti de' sapienti homini si oscurassero e si perdessero di vista divulgandosi ed impropriandosi dal volgo i loro dotti parlari » (18). Idcirco in lingua vulgari doctæ linguæ, in docta lingua latinæ sapientiæ reliquias colligit. At nonne periculosum et incertissimum opus aggreditur ? Etymologiæ dubiæ vitiosæque synonymiæ de quibus censor longe nec immerito cum Vico disputat, hoc suspicandum relinquunt. Unum tamen non est prætermittendum, scilicet, cum *de antiquissima Italorum sapientia* librum scriberet, Vicus nova quidem meditabatur, sed cogitationis culmina nondum tetigerat : præsentiebat potius quam plane intelligebat quanti momenti philosophia linguarum esset futura. Viginti vero annis postea, expleta simul atque emendata sua cogitandi ratione, in *Scientia nova* ostendet linguas opus instrumentumque mentis humanæ *inconsciæ*

(17) *Giornale de' letterati*, (t. VIII, art. X, 1711): *Osservazioni*, in fine.
(18) *Risp.* II, § 1.

esse (19), et ideo veridicas et majoris momenti ac cetera quæcumque monumenta constare in instruenda speciei ac cogitationis humanæ historia. Altiora petens, nec uni linguæ, nec priscæ cujusdam nationis sapientibus tantum operam dabit, sed *linguam intellectualem omnium nationum communem* (20), ex communibus exstantium linguarum locis extrahendam molietur, instrumentum atque opus *sensus communis generis humani (21)*. Quo tam novo quam insigni concepto, ætatis futuræ præcursor, historiam philosophia illuminabit, et novam hanc generis humani scientiam condet quæ *civilis* dici potest. At in summo suo opere linguas profitebitur esse historiæ quidem fontes, non amplius, ut olim, omnis metaphysicæ. Sed ut ad librum *de antiquissima Italorum sapientia* redeamus, quo Cartesium Vicus peculiariter invadit, notandum est denique dubias auctoris etymologias initium systematis potius constitisse quam proprie logicum fundamentum; quæ Vicum, ex ipsius verbis, in « veri primi » et in certitudinis criterii viam tantum induxerint. At illud verum, illud criterium suam vim propriam habent, et argumentis certis ædificata, quanti in se et per se valeant, sunt existimanda.

Vici de cartesiano « primo vero » judicium tam origine quam conclusione pro tempore novum apparet. Etenim a Platonis ideis et cognitionis definitione profectus, in distinctione consistit, verbis quidem (scilicet de cogitantis hominis *existentia* et *essentia*) discrepante, sed re

(19) *Secunda scienza nuova*. Lib. I, degli elementi, 12.
(20) *Ibid.*, 13.
(21) *Ibid.*, 22.

Kantianæ (scilicet mei phænomenalis ac substantialis) distinctioni vicina. Equidem Vicus a recentioribus scholis secedit, quæ a Kantiana « critica » procedunt : primum quod essentiarum mundum omnino dogmatica methodo, (id est antiqua Italorum sapientia duce, Deo « primo vero », criterio exstante quod verum faciamus), menti humanæ arbitratur esse penetrandum ; (quomodo hunc attigerit ac descripserit, in sequenti capite patebit) ; secundum, quod purum existentiæ suæ phænomenon non putat tam firmum principium constare, quam ut omnem cognitionem, omnem scientiam sustineat.

In « primo vero » suo, scilicet in Deo demonstrando diu non moratur : cujus in notione de christiana theologia sumpta, certitudinis doctrinam erigit, ex qua deinde confirmationem Dei colligit ab omni sceptica provocatione (sua opinione) victricem. Sceptici enim res sibi tantum videri, quid autem re ipsa sint, ignorare se profitentur ; itaque dum effectus concedunt, causas se scire negant : at « hæc caussarum comprehensio qua continentur omnia genera, seu omnes formæ, quibus omnia effecta data sunt, quorum simulacra sceptici suis mentibus objici, et quid reipsa sint ignorare profitentur, est primum verum, quia comprehendit omnes, in quibus etiam ultimæ continentur : et quia omnes comprehendit, est infinitum, nullam enim excludit : et quia omnes comprehendit, prius corpore est, cujus sua caussa est, ac proinde spirituale quid est : quod est cujus veri quidem Deus, quem christiani profitemur » (22).

(22) *Ibid.*, I, III, 1.

Num re tam victrix confutatio evadit quam putat Vicus? Dubitari licet : acceptum enim primum ponit *causalitatis* principium de cujus fundamento philosophi dissentiunt; postea ex comprehensione finitorum infinitum quiddam facit; postremo hoc infinitum spirituale esse affirmat, quod nec probat, nec antecedenti spiritualis substantiæ definitione explanavit. Quod si semel demonstratus Deus, in centro ac principio omnis certitudinis postea reponatur, et verum primum metaphysicum dicatur, nil rectius. At in ordine humanarum cognitionum non primum verum constat Deus : est contra anteriori quodam certo confirmandus. Quod Cartesium non fugit; nempe et hujus opinione Deus est infinitus et perfectus et cujusvis veri principium. At quo tutius infinitam perfectionem attingeret, se ipsum imperfectum ac finitum maluit primum stabilire; quo facto ad Deum — logica tantum fictione suppressum, — ascendit ab imperfectionis suæ idea ad ideam perfectionis, et a perfectionis idea ad hujus essentialem existentiam adductus. Hæc est notissima ontologica Dei probatio, cui Vicus, omnia per causas probanda professus, his candidis verbis adversatur : « Impiæ curiositatis notandi qui Deum Optimum Maximum *a priori* probare student : nam tantumdem esset, quantum Dei Deum se facere, et Deum negare quem quærunt » (23). Quæ cum objicit, non animadvertit censor argumentum contra se facile retorquendum : nam si ad demonstrandum Deum faciendi veri criterium adhiben-

(23) *Ibid.*, III, 8.

dum esset, non *a priori* tantum, sed *a posteriori* probationes omnes perirent. At Vici criterium, ut in hoc « primo vero » statuatur, statutum hoc prius vel pro statuto admissum supponit; quod suppositum argumento Cartesius voluit supplere.

Ingeniosissimum tamen ac profundissimum permanet illud Vici pronuntiatum : *Homo verum tantum scit quod fecit.* Cujus non ignoranda est singularis fortuna, — Vico quidem omnino inexspectata, — in recentiori metaphysicæ Kantiana renovatione. Nempe postquam ipse Kantius animadverterat et mathematica tam certo gradu procedere, ex eo quod in iis « mens omnia ex se ipsa desumit », et astronomiam et physicam eo tempore fecundam viam amplexas esse, quo docti viri Copernicus, Galilæus, Torricellius intellexissent « rationem ea tantum videre, quæcumque e propriis conceptis ipsa producit; » a « dogmatico somno » excitatus, metaphysicam ita in integrum restituendam decrevit, ut non amplius posthac « omnem cogitationem nostram ex rebus, sed res ex nostra cogitatione componeret » (24).

Quod si de hoc principio, tanquam de certi criterio, judicandum sit, nec mediocri parte justum esse videtur, nec omnino prorsus cognitionis problemati resolvendo sufficere. Cujus triplex definitio verborum, scilicet *cognitionis*, *scientiæ*, *conscientiæ*, et vim patefaciet et infirmitatem. *Cognoscere* est naturalem ac confusam rerum, scilicet legum vitæ necessariarum synthesim habere;

(24) Kantius, *Rationis puræ critica*, præfatio II.

scire autem ejusdem synthesis elementa, analysi distincta prius, relationibus postea concatenata possidere. *Scientia* igitur ordinata cognitio dici potest; *conscientia* vero genus quoddam cognitionis, quo mens ipsa et cognoscit et cognoscitur, scilicet cognitionis objectum ac subjectum constat. Vici criterium nec ad cognitionis facta, nec ideo ad facta conscientiæ pertinet; quæ quanquam certa sunt, nullius ponderis ac momenti ad informandam scientiam italico philosopho videntur; contra ad scientiæ facta idem valde pertinet, et hoc tenore : *homo verum tantum scit quod fecit*, sine detrimento potest admitti. In eo autem criterium peccat, quod, inopportuna distinctionis cujusdam memoria ad platonicam idearum theoricen spectantis, insuperabilem murum Vicus inter cognitionem et scientiam ponit, ac vanam atque inutilem alteram professus, alteri materiam atque instrumenta quibus constituatur, intercipit.

Essentiane sim, an phænomenon, conscientiam mei habeo, me cognosco : hoc est mihi præter omnia certissimum. Item conscientiam habeo, me non id totum esse quod cognosco : ideam vel rem, essentiam vel existentiam, substantiam vel phænomenon, exteriorem mundum cognosco. Attamen non ego me sentio mei ipsius aut hujus mundi auctorem seu factorem. Non equidem mea mundi aut mei cognitio necessario scientia est. Scientia enim ab analytico syntheticoque labore pendet, quem sæpius non confeci. At nonne illum laborem limitibus ac casibus certis conficere in mea potestate est ? Non id negabit Vicus, cui labor ille scientiæ conditio. Quem quo

conficiam, nonne vulgares meæ cognitiones utendæ mihi sunt ? Affirmat Vicus scientiam humanam abstractione natam; supponit autem abstractio eum qui abstrahit, et illud de quo abstrahitur. Et hæc abstractionis materia prima necessaria quid aliud sit ac vulgares nondumque ordinatæ illæ cognitiones, ex quibus ratio « rarum et exquisitum verum » scilicet scientiam abstrahit. Quarum cognitionum vim logicam Vici criterium supprimit nedum demonstrat. Itaque sceptico Vicus multo magis favet quam Cartesius. Præterea idem analysis synthesisque labor aliquid antea fixum postulat. Nempe homo, si illud scit quod facit, non illud facit quod vult. Cui ipse assentitur Vicus, cum evidentiæ criterium nihil aliud esse nisi sensum individuum in integrum restitutum profitetur. Insunt enim vel in rebus vel in hominis mente ordo ac principia, cognitione anteriora superioraque, quibus scientiæ forma materia prima scientiæ induatur. Hæc principia, quibus ratio ipsa intima constat, quanquam homo ea non fecit, pro certis tamen ac certissimis habet, cum iis sponte sua utatur, nec fieri possit quin utatur.

Idcirco duplici modo, cum interiora rerum non penitus satis penetraverit, criterium Vici peccat. Si vero scientiæ et materiam et principia accepta postulaveris, faciendi veri regula justa ac fecunda videbitur. Eo enim Mathematica inter omnes scientias fit certissima, quod ejus elementa, et in nostra cogitatione *a priori* deducuntur et *a posteriori* in rebus confirmantur : itaque eorum analysim plane ac synthesim facere in nostra potestate est; hæc autem relationum disjunctim prius inventarum concatenatio nos-

træ mentis opus est, et ex cognitione scientiam promovet. At tenore novum, fundo vetus ac tritum principium est, prætereaque ipsi Cartesio pernotum, qui omnem scientiam, ne excepta quidem physica medicinave, in mathematicam formam reducendam esse censuit curavitque.

Ut expensa paucis resumantur, si clara ac distincta idea certi definitio potius quam criterium jure a Vico dici potuit, faciendum verum criterium sane dicendum est, sed criterium quod non omnem certam cognitionem amplectitur. Itaque admisso, quo valet, utroque placito, manet semper criterium certi alibi requirendum, alibi ponendum.

IV

DE METHODO IN METAPHYSICA

Sensu primo latissimo, qui cum origine verbi congruit, metaphysica, Vici sententia, constat omnium scientia quæcumque sub sensum non cadunt : Dei, primi veri ac primæ causæ; hominis, quoad mentis naturam et ejus corpori relationem; mundi, quoad rerum prima principia. De Vici theologia naturali certamen contra « primum verum » cartesianum notanda quædam patefecit. Quod ad ejus opiniones attinet de humana natura, de mentis ac corporis conjunctione, de libero arbitrio cum præscientia omnipotentiaque divina confligente, cum cartesianis opinionibus paulum quadrant, et scholasticæ theologiæ explicationes proxime sequuntur.

Secundo sensu strictiori, metaphysica Vico essentiarum scientia constat, scilicet de natura rerum philosophica commentatio, aut cosmologia quædam physicæ præfatio. Quo sensu ad ejus conflictum cum Cartesio spectat : metaphysica enim physicæ cartesianæ principia et qua methodo constituta sint, et quid per se valeant, in Vici judicio de gallici philosophi metaphysica perpenduntur.

Quod iter secutus fuerit Cartesius, pernotum est : postquam et suæ ipsius et Dei existentiæ dubitationem

omnem sustulit, ad mundum redit, et principia metaphysica rerum statuit. Insolita vero et omni bonæ metaphysicæ contraria talis procedendi methodus Vico videtur : Aristoteles, ait, « metaphysicam in physicam intulit, » qui « de rebus physicis metaphysico genere disserit per virtutes et facultates » (1). Inde exortæ sunt vanæ scholasticorum entitates, scientiæ inutiles nisi perniciosæ. Inversum autem gradum, cum ceteris præstare velit, Cartesius observat : materiam enim creatam ponit dividitque, et substantiam vocat; quo faciendo « recta physicam in metaphysicam extulit, et de rebus metaphysicis physico genere cogitat per actus ac formas ». Utrumque, Vici opinione, vitio vertendum. Etenim « — et incivile est, exstante jam natura, ex qua jam actus habemus, definire res per virtutes, (ad exemplum Aristotelis physicam tractantis); — et antequam natura existat, et res formatæ sint, eas describere per actus, importunum » (2) : quod facit Cartesius cum de mundo metaphysico disserit. Cartesius quidem non est Epicuro similis, geometriæ tam ignaro quam in metaphysicam fastidioso, sed revera « maximus ex æquo metaphysicus et geometra ». Attamen ejus placita de extensione substantiali, de turbinibus, de pleno universo, non multo plus valent quam epicurea de corpusculo simplice extenso, vel de vacuo, vel de clinamine. Etenim uterque in mundo formam tantum ac motum considerat : res autem si forma motuque

(1) *De ant.*, IV, I, 26.
(2) *Ibid.*

constant, essentiæ seu virtutes rerum carent omni motu formaque.

Hæc autem verba, « virtutes » et « essentiæ », ad propriam Vici cosmologiam nos adducunt. Leibnitii instar, quocum argumentis suis anticartesianis non mediocriter congruit, de metaphysica Vicus *a priori* ratiocinatur. Ex aliquot verborum latinorum synonymiis metaphysicum ædificium instruit, quod et solidum et perfectum, quamvis exiguum, esse profitetur (3). Cui tanquam vestibulum profertur distinctio de physico seu actuum mundo, qui corporibus extensis ac motu constat, et de metaphysico seu essentiarum mundo, qui æternas virtutes rerum, et præsertim extensionis ac motus virtutem continet. Scientia vero essentiarum æternarum quodam sensu constat sola vera scientia. Quid ergo est essentia? Non apud Vicum cum idea confunditur. Platonis instar, ideas quidem ille profitetur genera esse, et æternas, et dignitatis ordine distributas permanere ab infimis ad supremam Ideam, quæ nihil aliud constat nisi Deus optimus. At illud elegans conceptum non suppeditat qua ratione idea in rem convertatur; suppeditant vero essentiæ. Infinitus Deus, unus est et individuus; nec ergo, quidquid contradicit Spinoza, extensio (vel motus) est. Essentia tamen ille Deus principium omnis rei constat, ergo omnis extensio vel motus *eminenter*, theologici verbi gratia, in eo continetur. Quo spectat id verbum? E *veri faciendi* criterio intelligendum est. Geometria, — cum arithmetica scien-

(3) *De antiq.* conclusio, 1.

tiarum certissima, — tota demonstratur puncti geometrici ope, quod inextensum et individuum est : punctum enim in infinitum multiplicatum lineam producit, lineæ duæ intersectæ fiunt superficies, superficiesque tres vel plures solidum. Homo vero mente artifex, creator, deus evadit hujus mathematici puncti, « cujus nulla pars est » et quod « ex æquo iniquis extensis subest » (4). Ideoque geometria, puncti gratia, eminenter in homine esse dici potest. Similiter autem in natura res se agunt. Auctor Deus, essentia inextensus atque immobilis ; inter quem et extensorum ac motorum mundum existere debet mundus quidam medius inextensorum immobiliumque, quæ extensorum ac motorum essentia ipsa sint, eorumque transitus ex idea divina in existentiam : « extensionis virtus individua, quæ ex eo quod ejus nulla pars sit, ex æquo iniquis extensis subest; motus immota virtus, — seu conatus, — quæ ex æquo motus iniquos explicat. » Quas virtutes seu essentias rerum Vicus *puncta metaphysica* nominat, quæ inextensa sicut geometrica, realia sunt sicut corporea. Puncta igitur sunt « per quæ primulum res ex sui nihilo existere occipiunt, et a nihilo minima et ingentia ex æquo distant » (5).

Non equidem vidit Cartesius in metaphysica genus rerum exstare « quod extensum non est, est tamen capax extensionis » (6). Divisam materiam substantiam fecit, cum ex ipsa etymologia ac definitione substantia nihil corpo-

(4) *De ant.*, IV, I. 12-17.
(5) *Ibid.*, IV, I, 22-23.
(6) *Ibid.*, IV, I, 25

reum vel dividuum constet. Quod, cum motus leges ingeniose discerneret, mirandum est quod non animadverterit. Etenim motum recte ponit ab ejus determinatione esse distinctum : ita ut « sub eodem determinationis modo, seu quantitate, ut dicunt, plus motus fieri possit » (7) ; unde præstantes suas explicationes colligit de motuum reflexione ac refractione. At principii sui rationem vel ignorat, vel dissimulat, scilicet « quod uti diagonali et laterali æqua subest virtus extensionis, ita motui recto et obliquo ad horizontem æqua virtus quoque subest movendi » (8). Vici igitur cosmologia in hæc reducitur, quibus libri sui caput quoddam absolvit : « natura est motus ; hujus motus indefinita movendi virtus conatus ; quam excitat infinita mens in se quieta, Deus. Naturæ opera motu perficiuntur, conatu incipiunt fieri ; ut rerum geneses motum, motus conatum, conatus Deum sequatur » (9).

Ex his colligendum est extensa non per se conari, sed per conatum moveri : conatum motu anteriorem esse, sicut extensionis virtutem extensis ; virtutes immotas permanere, res solas moveri. Unde *a priori* statuit Vicus : corporea cuncta in motu esse ; perfectam quietem in natura non inveniri; motum tandem, qui, si pro severiori metaphysica loqui velimus, « non tam *quid* est quam *cujus* » (10), ideoque corporis modus constat, nihil aliud esse nisi corpus quod movetur ; ergo non a corpore in

(7) *Ibid.*, IV, I, 22.
(8) *Ibid.*
(9) *Ibid.*, IV, II, 5.
(10) *Ibid.*, IV, V, princip.

corpus motum communicari, nec corporum attractionem fieri, sed peculiarem aeris in corpora « circumpulsionem », quæ Dei « manus sensibilis » est et cum perpetuo rerum motu congruit. Physicus idcirco mundus imperfectis rebus constat et in infinitum dividuis; metaphysicus vero — sive essentiarum, virtutum, metaphysicorum punctorum — mundus est rerum perfectarum, « quæ efficaciæ sint indefinitæ ». Itaque essentiarum scientia fit scientiis ceteris primordium; suppeditat enim metaphysica arithmeticæ numeri virtutem seu unum, geometriæ punctum seu virtutem extensionis, mechanicæ individuam virtutem motus seu conatum, physicæ extensionis ac motus virtutem corporibus applicatam, ipsique ethicæ *ideam perfectæ mentis*, « ondè provenga quella indifferenza attiva del saggio, quella capacità in comprendere... quella destrezza nell' operare... e finalmente quel dire e quel fare così proprio, che per quanto altri vi pensi, non possa più acconciamente nè dir nè fare » (11).

Præterea humana mens, cum forma ac limitibus prædita sit, eorum quæ absque forma limiteque sunt meram intelligentiam habere nequit : ea tantum cogitare suum est. At illa cogitatio confessio est quod cogitationis objecta neque formam neque limites ullos patiuntur. Meram autem intelligentiam rerum metaphysicarum homo non habet, quia Dei res illæ opus sunt, non suum. Ideo metaphysicum verum uno visu et in globo mente divina consideratur, humana mente finita distincte singulatim-

(11) *Risposta* I, 2.

que percipitur : nempe hæc « metaphysici veri claritas eodem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca distinguimus. Metaphysica enim vera illustria sunt, quia nullo fine concludi, nulla re formata distingui possunt : physica autem sunt opaca, quibus metaphysicarum rerum lucem distinguimus » (12).

Hoc est ingeniosum Vici placitum de punctis metaphysicis, hæc substantiæ definitio quam definitioni opponit cartesianæ. Quæ cum in se cognita sint, in origine nunc et quid valeant, sunt existimanda.

Illud quidem verbum, scilicet « punctum metaphysicum », paulo ante Vicum a quodam ejus æquali, metaphysica præstantissimo, fuerat pronuntiatum. Ac sane Leibnitii *monada* Vicique punctum inter se quodammodo congruunt. Reale quiddam utrumque, divinæ cogitationis opus, ab ea autem cogitatione distinctum, formale simul ac materiæ expers rerum principium; itaque Vicus et Leibnitius consentiunt, ut a cartesiana corporeæ substantiæ definitione secedant. At non ultra perstat consensus. Leibnitiana monada passivum et activum quiddam constat, quæ, tanquam anima rerum, per se ordine et impulsu divino movetur. Constat potius Vici punctum aliquid dynamicum, ens quidem, sed agendi vel sentiendi virtutis expers; ambiguum tandem principium, quod nec vis creatrix nec res creata est, sed medium stat inter, et ab idea ad actum fit transitio. E tanto discrimine non sine causa conjiciendum est nihil (aut paulum abest) in hoc

(12) *De antiq.*, IV, I, 30.

concepto Vicum Leibnitio debuisse. Hunc quidem novit e neapolitano familiari Fardella, ex fama quæ eum cum Newtono « maximum ætatis ingenium » facit, ex operibus quæ fortasse legit. Sed punctorum origo alibi rectius ponenda est. Observata religiose libri sui lege, placita sua deducit Vicus a synonymis verbis latinis *puncto* ac *momento*, et affirmat (quod non probat) Zenonem (Citiensem, quem pro Zenone Eleatico capit), hæc de punctis placita ab antiquæ Italiæ sapientibus tenere, quæ in disputationes suas de motu et extensione feliciter introduxerit (13). Non jam ignoratur Vicum græcis litteris fuisse mediocriter eruditum, qui græcos scriptores juvantibus latinis vel italicis scriptoribus cognoscebat. Quorum vel in propriis excogitatis, vel in Procli Platonisve commentariis requirendum videtur quidquid in elaborandis punctis e proprio fundo Vicus non hauserit. Etenim in neoplatonici Marsilii Ficini *Theologia platonica* (14) fingitur quædam materiæ *efficax qualitas et virtus*, quæ, licet corporibus inhæreat, ipsa tamen nec corporea nec dividua sit : hanc et *formam materiæ* Marsilius vocat, et ex ea forma, imperfecta quidem, cum materiæ submittatur, perfectiorum formarum et infiniti perfectique omnino principii existentiam colligit. Item Procli Ἑνάδες vel Λόγοι σπερματικοί punctis consentaneum quiddam fortasse continent (15).

(13) *De ant.*, IV, I, 1.
(14) Lib. I, capp. 3-4.
(15) *Proclus in Parmenid,* IV. — Hæc Vici cum Ficino Procloque comparatio auctori suo est referenda : Cf.: Karl Werner, *Giambattista Vico als Philosoph und gelehrter Forscher,* Abschn. I, p. 2-3.

Quod si de metaphysicis punctis, prætermissa origine, judicandum sit, pulchre quidem et eleganter concepta jure dicentur. At non immerito iis et obscuritatem et argumentorum e synonymiis ductorum infirmitatem venetianus censor objicit. Adde quod multum abest ut, ex affirmatione Vici, omnia metaphysicæ problemata resolvere sufficiant. Etenim præcipuum cui inter cartesianos præstantissimi, Cartesius ipse, Malebranchius, Spinoza, solvendo se addixerunt, cujus gratia Leibnitius novam de substantia doctrinam proposuit, insigne problema quod de communicatione substantiarum dicitur, intactum et sine solutione Vici puncta relinquunt. Imo punctum, cum non, *monadæ* instar, activum constet principium, difficile mente aliud concipitur ac fictum quiddam, ens ratione non re constans, quod, licet a *sympathiis* et *aversionibus* et *occultis qualitatibus* Vicus magna vi repugnet, paulum differt ab ejusmodi scholasticis « entitatibus », nec plus scientiæ prodest.

Unum tamen Vici cosmologiæ meritum concedendum est, nec parvi pretii, si philosophiæ cujusdam recentioris placitis attendamus. Ad id enim illa tendit, et quodammodo jam pervenit, ut in distinctis locis ponat duas rerum series quarum Cartesius, in hoc medium ævum secutus, studia recte distinguere non valuit : una parte quæcumque supra sensum sunt ac permanent, essentiarum nomine ponit comprehensa ; altera quæcumque sub sensum cadunt, scilicet rerum exteriora seu *phænomena* (hoc verbo semel utitur) (1) colligit, in quibus non minus exten-

(1) *De nostri temporis studiorum ratione,* IV.

sionem quam motum comprehendit. Certis ita limitibus et metaphysicum et physicum mundum circumscribit, philosophiamque a scientia adeo præcise distinguit, ut qui olim faciendi veri criterio apertam « *phænomenismo* » viam præstabat, nunc eidem doctrinæ nova ratione favere videatur.

V

De methodo in scientiis quæ experientia promoventur.

Jam antea compertum est, a diversis criteriis profectos, in communem hanc conclusionem Vicum et Cartesium adductos fuisse : mathematicam solam proprie scientiam exstare. Desinit autem consensus cum ex hoc principio physicæ idonea methodus sit colligenda. Humiles quidem in cartesiana physica partes agit experientia : quæ solvenda problemata deductioni tantum porrigit, et mathematicum verum confirmat physicarum rerum congruentia. At nullo modo per se investigandi inducendique veri ratio evadit. Enimvero Cartesii sententia, primis principiis metaphysice semel positis, mathematica deductio sufficit ut scientiæ cunctas universi leges suppeditet. Contra Galilæi admirator Baconique discipulus Vicus inductionem quæ ab experientia procedit magni existimat. Cujus quidem logicam analysim non tentavit ; imo cum mathematicam proprie solam exstare scientiam sit professus, ceteris cognitionibus aut in vulgarium aut in probabilium verisimiliumque regione relegatis, non paulum inductionem, quam tanti facit, debilitasse videbitur. Subjungit quidem, confirmationis gratia, verisimilia immerito a cartesianis fuisse neglecta, quæ verum ipsum constant,

dummodo vel omnibus vel plurimis vera visa sint : « il verisimile che è il vero, per lo più che ne dà quella regola di giudicare che è un gran motivo di vero ciò che sembra vero a tutti o alla maggior parte degli uomini » (1). Addendum præterea, quod infra patebit, opinione Vici geometriæ auxilium non omnino physicæ esse rejiciendum, imo geometricæ demonstrationis ope huic comprobationis supplementum conferri quo scientiæ formam induat.

His propositis, cartesianæ physicæ censuram adoritur. Quam ei suppeditat suum certi criterium. Postquam de metaphysica physici more Cartesius locutus est, (quod antecedenti capite constitit), nunc de physica loquitur tanquam mathematicus : tali argumento reducitur italici philosophi contra gallicum suum adversarium animadversio. Et hoc verbo « physica » omnes scientias comprehendit, quæcumque experientia utuntur ; imo iis adjungit artes.

Non Vicum sane præterit fortuita cum Cartesio de mathematico vero sua convenientia ; quam hoc insigni loco notatam explicat :

« Et vero Cartesiani.... animadvertere hæc possent, quæ dicimus, se quanquam verbis negent, re ipsa profiteri ; qui vera ad quorum normam cetera dirigunt præter illud, quod a conscientia petunt : *Cogito ergo sum*, non aliunde nisi ab arithmetica et geometria, nempe a vero, quod facimus, mutuantur ; et illa celebrant : *sit*

(1) *Lettera a D. Francesco Solla*, 12 jan. 1729.

verum ad hoc instar ; ut tria et quatuor faciunt septem, ut trianguli duo anguli ambo sunt tertio majores : quod tantumdem est, quantum ex geometria physicam spectare ; et qui id postulat, re ipsa hoc postulat : *tunc mihi physica vera erunt, cum feceris : ut geometrica ideo hominibus sunt vera, quia faciunt* » (2).

Num vero illud legitime de physicis postulatur ? Negat Vicus acerrime. Verum enim scimus quod facimus ; geometriam demonstramus, quia mente facimus ; si physicam *a priori* demonstrare possemus, item faceremus ; at in uno Deo « sunt veræ rerum formæ, quibus earumdem est conformata natura » (3). Ex quo jam patet geometricam seu analyticam methodum physicæ per se non convenire. Hæc quidem methodus proprium suum dominium habet, quod non impune transgreditur, scilicet id veri genus cujus mens elementa prima continet, « ubi et definire nomina et postulare possibilia licet » (4). Quod si alienum fundum invadat, detrimenta plura secum affert, primumque fit infecunda. Est enim cartesiana deductio opinione Vici stoïcorum soriti similis : et, ut si quis « syllogismo contendit, nihil novi affert, quia in propositione vel assumptione complexio continetur, ita qui sorite confirmat nihil aliud facit quam explicat verum secundum quod in primo latebat involutum ». Itaque « recentiores physici (scilicet cartesiani) eorum similes esse videntur, quibus ædes a parentibus relictæ

(2) *De antiq.*, VII, IV, 19.
(3) *De nostri temporis studiorum ratione*, IV.
(4) *De ant.*, VII, IV, 16-17.

sunt, ubi nihil ad magnificentiam et usum desideretur, ut iis tantum amplam supellectilem mutare loco aut aliquo tenui opere ad sæculi morem exornare relinquatur » (5). Nil novum inveniunt, quod omnia se possidere postulant. At num jure id postulant ? Cum commodo suo cunctam hanc physicam *a priori* instruxerunt, serius ocius advenit tempus quo studiosa mens a cogitatis in res transire cupiat ; quo faciendo vel excogitata tanquam falsa rejicit, ut postea rebus illa confirmet, vel nova quærens, in aperto naturæ libro studet. At si res ita se agant, quid prodest universi leges mente jam *a priori* statuisse ?

Non infecunda tantum, sed aleæ plena methodus videtur : namque et periculosa est et omni ratione caret affirmatio qua instructa *a priori* physica cum natura plane congruat. Etenim mathematicæ scientiæ instructio — stoïcorum soritis instar — principiorum concatenatio est, sibi tam indissolubili modo connexorum, ut, uno fracto annulo, extemplo omnis catena dirumpatur. Neque sine causa timendum est ne « dum ædium vestigia curant, fundamenta cum periculo negligant » (6). Quod apud veteres de « insidiosissima » Chrysippi logica factum est ; quod et fit de methodo physicæ adhibita : cartesianæ enim physicæ prima principia, scilicet tam prædicatas illas motus leges, ne rebus quidem congruere Leibnitius demonstravit. Itaque initio facile conjiciendum erat neque stabiliorem neque perenniorem cartesianam physicam fore, quam metaphysicam.

(5) *De nostr. temp.* IV.
(6) *Ibid.*

Tertium postremo ejusdem methodi vitium eo constat quod et curiositatem obruit, dum veritatem certissimam facere vult, et ingenium frenat speciosa reperiendi facilitate, et ideo pigritiæ inscitiæque favet. Criticæ enim sæpius cartesianus indulgebit antequam disputandi judicandique elementa colligat, quo faciendo immaturas sententias profert omni pondere destitutas.

Hæc præterea vitia historia patent confirmata. Etenim tam inepte quam nefaste laboravisse Cartesius adversario videtur, ut « experimentales » scientias promoveret. Cujus culpa relictis fecundis viis in quas Galilæus Baconusque eam introduxerant, physica inanes et absurdas hypotheses admisit de turbinibus, pleno universo, ceteris. Quod ad medicinam spectat, Romani olim, observatis Tiberii Cæsaris præceptis, morbi cujusvis progressum et phænomena et symptomata dignoscere tentabant : longaque tantum experientia freti medicamenta instituebant, quæ ex casuum gravitate ministrabant. Hodie contra morborum solas causas, — aut saltem quas causas esse credunt, — et *a priori* ex universis physicæ legibus deductas possidere satis esse arbitrantur, et remedia temere inconsiderateque præscribunt. Cum ideo inopportunum verum quoddam tenere videantur, verisimilia plura negligunt, rebus magis accommodata. Galeni quidem discipulis jam objectabat Baconus nihil medicinæ syllogismum afferre : item cartesianis medicis objici potest soritem syllogismo in hoc nullo modo præstare (7).

(7) *Ibid*, VI.

Loquendumne de mechanica ? Qui plurimum hujus scientiæ causa fecerunt non geometriam sane contemnebant, sed « sua ingeniorum felicitate magis quam ulla analysis ope præstiterunt » (8). Item de architectis : « quot enim ærumnas Philippus Brunelleschius, qui Florentiæ omnium primus in templo divæ Mariæ florum dictæ audax incœpit, perfecitque facinus, sui temporis architectis pertulit, contendentibus, nunquam fieri posse, ut super quatuor pendentibus punctis tantillum, nedum ingens ædificii moles in immensum pertinentis educeretur » (9). Item de musicis : ut ex argumentatione Vici geometricæ methodi in artibus abusus cum perenni conflictu theorices ac practicæ, scientiæ atque artis, miro modo connectatur. Pro arte et practica faciendi veri criterium auctorem inducit ut opinetur.

Quin imo et in ipsa geometria analytica methodus illi desiderandum quiddam relinquit. Nempe cum deductione hujus scientiæ theoremata collegimus, certi quidem sumus sine dubio, nec tamen semper omnino convicti : etenim labor ille quo de rebus abstractis geometrarum modo ratiocinamur, minus animos percutit edocetque quam si ipsas res aspiciamus et quodammodo digito tangamus. Itaque geometriam Vicus exoptaret, solitis ratiocinationibus semel constitutam, per synthesim postea, scilicet constructionum ac figurarum ope demonstrari potius quam per analysim, scilicet nudis aridisque formulis; ut, nova permanentis principii consequentia

(8) *Ibid.*, V.
(9) *Ibid.*

« componendo demonstraremus, hoc est ne inveniremus vera, sed faceremus » (10).

Neque tamen Vicus geometricæ methodi cæcus adversarius jure dicatur, qui partes suas huic methodo etiam in physica tribuendas curavit. Etenim, si ad invenienda nova methodus illa nihil profert, pretiosissima etiamque necessaria fit, ut Physicus quæcumque docuit experientia, in ordine scientiæ ponat. Illam vero posthac non methodi, sed potius demonstrationis geometricæ nomen decet : quam Pythagoras Platoque apud veteres, Galilæus italicique et anglici physici recentiores ad confirmanda ordinandaque inventa sua tam felici exitu adhibuerunt (11). At confirmare aut ordinare secundum locum tenet : primum autem invenire ; et præter omnia ad promovendam physicam aptissimum instrumentum experientia permanet, a Cartesio nimium neglecta : « quare tutius consilium ut peculiaria consectemur ; et sorite non supra ejus in hac re meritum utamur quidem, sed potissimum insistamus *Inductione* » (12).

Hac conclusione enitet amborum philosophorum de methodo physicæ admovenda dissensio. Excepto « primo vero » quod a conscientia cartesiani mutuantur, cetera quæcumque vera et imprimis physica ab arithmetica geometriaque petunt ; at cum ita agunt, Vico dicere videntur : « Physica mihi erit vera cum eam fecero, sicut geometria hominibus vera est quia illam faciunt » ;

(10) *De antiq.*, VII, IV, 19.
(11) *Ibid.*, VII, IV, 9.
(12) *De nostr. temp.* VI, in fine.

quapropter nihil in hoc vituperandum reperit. At cartesianis vitio vertit quod physicum verum profiteantur et homini esse proprie faciendum, et mathematica deductione attingendum. Physicum enim verum Deus solus proprie facit, et pernoscit : illud tantum invenire nostrum est, experientia particulatim repetitum, inductione postea in generale prolatum, postremo geometrica demonstratione ordinatum confirmatumque.

VI

DE METHODO IN *CIVILI* SEU IN HOMINIS ATQUE HUMANI GENERIS SCIENTIA.

At cartesianæ methodi tenuitas præsertim enitet in dignoscenda mundi creati re implicatissima, id est homine. Quem duplici ratione considerat Cartesius : metaphysice primum, cum bipartitam ejus substantiam definit, et spiritualis substantiæ, id est intellectus ac voluntatis, naturam et partes statuit; physice postea, cum analyticæ methodi ope humani corporis anatomiam facit. Præterea in iis solis quæ ad corpoream ejus substantiam spectant, hominem censet scientiæ materiam constare, cum hoc uno nomine omnibus cum extensis corporeisque in « mechanico » rerum ordine comprehendatur. Quod autem ad Vicum attinet, de hominis scientia longe aliter sentit, et adversario tria objicit.

Primum cartesianæ doctrinæ perniciosam quamdam consequentiam potius petit quam ipsius Cartesii peculiarem opinionem. Illa enim doctrina, (patri *de Vitry* scribit), « philosophiæ morum curam ademit, hac speciosa causa quod Evangelium, quidquid de moribus constet, contineat, ideoque omnem hujus disciplinæ investigationem

vanam faciat » (1). Non equidem Vico ignorandum erat aliam ethicam Cartesio exstitisse ac transitoriam illam, quam tanquam methodicæ dubitationis complementum in *Sermone de methodo* ex avitæ religionis præceptis observandam sibi proponebat. Cum enim e dubio in certam veri notitiam elabitur, inutili facta vitæ transitoria regula, de ethica ex ratione componenda Cartesius quædam profert. Hæc autem altera ethica in puram intellectus quæstionem reducitur : cui primum fit propositum hominem compotem facere corporis motuum, qui liberam voluntatem operantem impediunt; secundum, frenatis corporis motibus, libero ejusdem voluntatis arbitrio (quod potius affirmat Cartesius quam probat) bono adhærere, quod ejus opinione nihil aliud constat nisi verum clare distincteque perceptum. At metaphysico fundamento erecta, quod quam fragile sit, Vicus se demonstrasse credit, ethica cartesiana videtur illi parum solida, quæ invito Cartesio cedit Evangelii præceptis, donec ipsa Evangelii præcepta, surgente impia ista ethica, quæ omnis spiritualis ac liberi principii in homine, omnis metaphysici extra hominem principii negatio erit, evanescant. Tenuis præterea videtur in se talis morum disciplina, et vitæ necessitatibus parum accommodata : *solitarium* enim hominem vix decet, non hominem cum hominibus agentem; neque ad jus neque ad civilitatem spectat, quæ Cartesius negligit, « naturalem quamdam prudentiam » satis esse arbitratus. Cum igitur philosophi gallici ethica, sicut ejus methodus, ad id

(1) *Lettera al P. de Vitry*, 20 jan. 1726.

tendat ut hominem ab hominibus sejungat, in auctore nec consentaneam nec justam humanæ naturæ notionem exstitisse testatur.

Hæc autem injusta notio eo exoritur, (quæ secunda Vici fit animadversio), quod Cartesius ordinem quemdam rerum ultro prætermittit, quæ geometrica methodo licet non perpendendæ sint, tamen ad cognoscendum hominem anatomiæ labori longe præstant : id est innumera testimonia quæcumque de humana consociatione historia perhibet. Atque ideo in historiam fastidiosus Cartesius studendis bonis scriptoribus haud parum nocuit. Perit enim, si querenti Vico credendum sit, grææ linguæ ac latinæ omnis bona disciplina ; cum omnia quam facillime discere velint, non legendos scriptores amplius curant, sed a Bayli vel Hoffmannii vel Moreri cujusvis compendiis inchoatas de omnibus rebus notitias adeo petunt, ut typographiæ inventio, quæ humano generi docendo erat multum profutura saneque profuit, hoc grave detrimentum secum attulit, ut cum transcribendi necessitate scriptores legendi penitusque indagandi consuetudo perderetur (2), rerumque species pro rebus ipsis curaretur. Inde iste librorum typis mandatorum sumptus, qui in vanum ad exornanda futilia opera profusus, Vico similis esse videtur aromatum lanci quæ absque valente cibo manducanda porrigerentur (3). Cujus primam culpam *Sermonis de methodo* auctori imputat. Etenim, perinde ac si mundus lineis numeris et algebricis signis constaret,

(2) *De nostris temporis studiorum ratione*, XVII.
(3) *Lettera al P. de Vitry*, 20 jan. 1726.

faventibus cartesianis magistris juvenes in speciosis verbis evidentiæ, demonstrationis, demonstrati veri commorantur, neque ab ea mente possunt deduci. Logicæ quidem, id est arti cogitandi, primæ omnium incumbunt, qua studendi finem illos facere oportebat, eo prius e bonarum artium studiis collecto, de quo illis esset ratiocinandum (4). Ideo illa tam prædicata Arnoldi cogitandi ars obscurissima fit, « qui abditissimis cujusvis generis disciplinarum exemplis suam Logicam refercit : quæ nisi artes scientiæque, unde depromuntur, antea perceptæ sint, sine summa eloquentia et labore summo præceptorum, intelligi ab auditore aliquo pacto vix possunt » (5).

Tertia postremo animadversione priores duæ completæ explanantur. Quod quidem si Cartesius ethicam et tenuem et tanquam exsanguem profert, quod et si bona studia et historiam proscribit, ei primo vitio vertendum est, quod metaphysicum principium rejiciat, cujus ope ethica confirmatur, historia dilucidatur : causas quæ dicuntur finales. Cum enim in rerum ordine fines non agnoscat, Providentiam agentem (ex animadversione Gassendi) negat : tunc facile ratio intelligitur, quapropter et ethicam in puram vel medicinæ vel logicæ quæstionem reducat, et historicorum gestorum congeriem rejiciat, in quibus nullius intelligentiæ ac voluntatis superioris decreta videntur sibi colligenda.

Indagetur contra et cujus momenti in philosophia Vici sint historica studia, et quomodo, ad postrema excogitata

(4) *De nostri temporis studiorum ratione*, III.
(5) *Ibid.*

sua adductus, generis humani quamdam scientiam ille conceperit, et quod certi fundamentum, quam methodum huic *civili* scientiæ præstiterit.

Philologus ante omnia, ut philologiæ partes adversus Cartesium defenderet, de metaphysicis occasione Vicus scripserat. At hominem cognoscere, quo proposito exsequendo Plato, Tacitus, Baconus auctores ei adfuerant, prima fit primaque permanet ejus cura. Auctores suos præterea longe procul a se relinquit. Duce Grotio juri gentium dat operam, et e philologia universi juris unum eruit principium (6), et secum in unum conspirantia ostendit juris et philologiæ studia (7), et postremo in generale quid elapsus, e philosophia et philologia pacto quodam convenientibus generis humani novam scientiam eruit (8), quæ et cogitationis culmen et postrema fit ejus in Cartesium contentio. His autem verbis Vicus dissidium exprimit, quo antea litteræ et philosophia invicem stare videbantur : patet, inquit, « ambos medio itinere constitisse, et *philosophos*, qui rationes suas philologorum auctoritate *certas* non fecerint, et *philologos*, qui auctoritatem suam philosophorum ratione *veram* constituere neglexerint » (9).

At nonne desinente dissidio exoptata Vico illa perfecta hominis scientia fieri potest? Hinc quidem, propter *nationum vanitatem*, quarum unaquæque ceteris antiquitate et gloria se præstare contendit, desperandum est in

(6) *De juris uno principio.*
(7) *De constantia jurisprudentis.*
(8) *Scienza nuova.*
(9) *Secunda scienza nuova*, lib. I, *degli elementi*, X.

philologorum scriptis hujus scientiæ principia unquam reperiri : illinc propter *sapientium vanitatem*, qui naturam humanam ab origine credunt perfectam, et « potiores suas doctrinas exoriente mundo expletas constitisse volunt », non spe majori apud doctos eadem scientia quærenda est. Rebus igitur omnibus confusis, oportet novæ scientiæ conditor viam perinde sibi faciat ac si libri nulli essent (10).

Attamen et proficiscendi initio et duce opus est. Ubinam vero reperienda sint logica hujus novæ scientiæ primordia? Respondenti Vico attendamus :

« Ma in tal densa notte di tenebre, ond'è coverta la prima da noi lontanissima Antichità, apparisce questo lume eterno, che non tramonta, di questa Verità, la quale non si può a patto alcuno chiamar in dubbio, che *questo Mondo Civile egli certamente è stato fatto dagli uomini:* onde se ne possono, perchè se ne debbono, ritrovare i Principj *dentro le modificazioni della nostra medesima mente umana*. Lo che a chiunque vi rifletta, dee recar maraviglia, come *tutti i Filosofi* seriosamente si studiarono di conseguire la *Scienza di questo Mondo Naturale;* del quale, perchè *Iddio* egli *il fece*, esso solo *ne ha la Scienza;* e trascurarono di *meditare* su questo Mondo delle Nazioni, o sia *Mondo Civile, perchè l'avevano fatto gli uomini*, ne potevano conseguire la *Scienza gli uomini* » (11).

(10) *Ibid.*, lib. I, de' principj.
(11) *Ibid.*, in editione Ferrariana, p. 80

Hæc quidem verba maximi momenti sunt. Ii enim philosophi, qui serio quidem, sed frustra rerum ordinem tentant penetrare, iidem reipsa sunt quibus jam pridem constans adversarius Vicus obstitit, cartesiani. Et pariter in *Scientia nova* atque olim in libro *De antiquissima Italorum sapientia*, Deus, quia solus naturæ mundum *fecit*, solus dicitur hunc mundum *scire*, id est *scientiam mundi* possidere. Ideoque si qua humanarum consociationum seu *civilis* scientia sit unquam homini consequenda, ipsius hominis opus, ad exemplum geometriæ, illam fore oportebit. Quod secundo insigni loco Vicus confirmat :

« Anzi ci avanziamo ad affermare ch'in tanto chi medita questa scienza, *egli narri a sè stesso questa Storia Ideal Eterna*, in quanto, essendo *questo Mondo di Nazioni* stato certamente *fatto dagli Uomini* ch è'l Primo Principio indubitato che se n'è posto qui soprà; e perciò dovendosene *ritrovare la guisa dentro le modificazioni della nostra medesima Mente Umana*, egli in quella prova — DOVETTE, DEVE, DOVRA — *esso stesso se' l faccia* : perchè ove avvenga che chi fa le cose, esso stesso le narri, ivi non può essere più certa l'istoria. Così questa Scienza procede appunto come la *Geometria* che mentre sopra i suoi elementi il costruisce o'l contempla, essa stessa si faccia il *Mondo delle Grandezze*; ma con tanto *più di realità*, quanta più ne hanno gli ordini d'intorno alle faccende degli uomini, che non ne hanno punti, linee, superficie e figure : e questo istesso è argomento, che *tali prove siano d'una spezie divina*, e che debbano, o leggitore, arre-

carti un *divin piacere;* perocche in Dio *il conoscer e'l fare* è una medesima cosa (12). »

Idcirco *civilis scientia* non tantum fieri potest, sed et primum locum in ordine humanarum scientiarum obtinebit. At constitutis primis novæ scientiæ principiis, quanam methodo et utiliter et tuto illa procedat? Cum autem philosophiam et philologiam sit conciliatura, utramque interrogabit, in hoc duplex Baconi præceptum exsequendo : *cogitare, videre.* Ideo et *verum ponet*, scilicet e philosophicis argumentis *humanarum consociationum historiam* cogitando mente instruet; et *certum statuet*, scilicet sumptarum e philologia probationum ope, historiam illam, mente prius instructam, rebus ipsis in eo quod universum constat et permanet, perlustrabit. Si vero *a priori* methodum methodus *a posteriori* confirmaverit, si mente informata historia historiæ ex rebus collectæ congruerit, ad summum certi gradum scientia nova elapsa erit, liquido constante ejus proposito, scilicet « quo homines, consociationum suarum auctores, secum ab omni tempore convenerint et sint unquam conventuri ? » Præterea philosophia atque philologia non omnino sejunctim et quodammodo una insciente altera idem persequuntur : se contra mutuo auxilio juvant, et utuntur communi criterio, et ambæ duplici sub aspectu una eadem res sunt, quam Vicus *sensum communem generis humani* appellat. Enimvero homo quid ex libero arbitrio agat, philosophus perscrutatur : quod studium licet natura videatur incertis-

(12) *Ibid.*, p. 86.

simum, tamen determinationem et fixa quædam primordia patitur. Etenim consentaneæ opiniones, apud diversas et a se ignotas gentes exortæ, inconsciæ sententiæ quibus hominum collectio, natio, universum genus congruunt, oportet *communem quamdam vim ac rationem veritatis* habeant, quam *sensus communis generis humani* continet, fitque adeo ille sensus e divino decreto criterium ut de naturali jure gentium homo ratiocinetur (13). Hæc quidem constat philosophi cura; philologus autem easdem publicas veritatis rationes petit et ex communi traditione, et ex linguis quo consentiunt, et ex superstitibus congruis ætatum omnium monumentis.

Postquam ipse Vicus duplicem hanc methodum ad instituendam novam scientiam adhibuit, patet ei ille speratus consensus, illa historiæ ex rebus collectæ convenientia cum historia quam mente cogitando instruxerat, illa tandem communis humani sensus constantia, quam in hac triplici ethica fide ponit, qua vigente vel cadente crescentium et pereuntium gentium vices explanantur : providentia divina, frenandarum libidinum lege, anima corpori superstite. Adde huc quod *Scientia nova* Providentiæ quodammodo fit historica demonstratio, et tanquam *theologia civilis*, et a Providentia illa, quam demonstravit, postea ipsa confirmationem sumit et cohærentiam.

Hæc constat, ex insigni libro qui inscribitur *Scienza nuova*, de homine notio quam Vicus opponit notioni cartesianæ. Ipse præterea mediocrem libri sui fortunam,

(13) *Secunda scienza nuova*, I, degli elementi, XIII.

de qua familiari suo Francisco Sollæ queritur, cartesianæ methodo vitio vertit, quod methodus illa, cui omnino repugnat, tam prospere processerit, et hæc tenore notanda verba subjungit : « Così in questi stessi tempi che da essi si coltivano Metafisiche, Metodi e Critiche, un'opera meditata con una Metafisica inalzata a contemplare la mente del genere umano, e quindi Iddio per l'attributo della Provedenza, per lo quale attributo Iddio è contemplato da tutto il genere umano — esaminata con una critica che si fa sopra essi autori delle nazioni, la qual unicamente ci può accertare di ciò che ne dissero gli scrittori, i quali dopo la scorsa almeno d'un dieci secoli vi cominciarono a provenire — e condotta con un metodo addentrato nella generazione de' costumi umani, che ad ogni tratto ne dà importantissime discoverte, essi, *perchè vi di tratta si materi i cui studj si condannano dal metodo di Renato*, contro ogni regola di buon'arte critica, senza farne verun esame, senza applicarvi punto di attenzione, con un giudizio superbo, che è quel che non rende ragione del perchè così giudica, la condannano dicendo che non s'intenda » (14).

Quæ cum ita sint, utrius, Cartesiine an Vici, partes sint amplectendæ? Grave quidem problema, cum de nihilo prorsus agatur nisi de statuendo an reipsa sint leges historiæ, an humanarum societatum notitiā scientia quædam possit evadere. Patet autem præsenti tempore de legibus illis homines inter se tantum disputare, tam

(14) *Lettera a Don Francesco Solla*, 12 jan. 1729.

diversas sententias proferre, ut temere nodus aliquo modo exsolutus affirmetur. Cum tamen de adversariis judicium sit proferendum, Vico potius favendum videtur, nisi cum subtiliter de tenuibus ratiocinatur, saltem cum homine ex humanis operibus testimoniisque solum plane noscendo librum suum concludit. Etenim bonis rationibus affirmandum videtur : et consociationum humanarum scientiam metaphysice ac logice nihil contradictorium continere, et ad eamdem scientiam hominem posse pervenire; quam quo consequatur, historica documenta maximi ponderis ac pretii sunt, imo omnino necessaria.

Nihil igitur primum impedire dictum est, quin pariter hominis inter homines agentis cognitio scientia quædam evadat, atque hominis cujusdam a ceteris sejuncti. Quod si universum mundum ipsumque genus humanum ineluctabilibus legibus subjectum esse profitendum sit, nulla de re dubitatio fit : consociationes enim individuis constantes, individuorum instar fatales patiuntur leges, quæ discretæ ordinatæque scientiam efficiunt. Ideo hujus recentioris philosophiæ sectatores, quæ *positiva* dicitur, cum cartesianam de mechanico rerum ordine doctrinam, (negata quidem libertate), suam fecerint, tamen cum pio christianoque Vico consentiunt ut humanarum consociationum scientiam in honore habeant ; quam Comtius in insigni suo scientiarum ordine proprio loco septimam posuit, necnon copiose tractavit. Quod vero si in locum fatalis cujusdam legis ordo substituatur a Providentia divina decretus, Providentiæ fines etiam in hoc ordine licet

indagentur ; scientiaque, dummodo ea quibus constat ordine fixo statuta sint, fieri potest. At quod homo si vere sit libero arbitrio præditus, si ipse per se agat, agentis sui causa sit, contendendone perstandum est humanæ historiæ leges exstare homine superiores? Res enim est multi consilii, scilicet an homines, disjunctim liberi, conglobatim extraneam legem patiantur. Attamen, cunctis mature perpensis, ambo placita nihil secum pugnare merito judicandum videtur. Nempe libertas humana, si de ea omnis dubitatio sublata postuletur, nihilominus patitur limites : liberum homo sane semetipsum novit, liber movetur, sed certis finibus circumscriptoque dominio : innumeræ enim intus et extra causæ agentem illum omnimodo impediunt. Ergo si qua sit vis creatrix infinita, quæ, dum liberum hominem informaret, genus humanum sibi regendum servaverit, quid obstat quin illa vis liberum hominem iis limitibus circumscripserit, ut quod de humana gente principio statutum fuerat, nedum ei officeret, quisque pro sua parte adimpleret.

Secundo loco, cum civilis quædam scientia fieri possit, qua ratione consociationum leges inveniamus ? Constat quidem disciplinas quæ ad noscendum hominem spectant, physiologiam, psychologiam, observatione experientiaque promoveri. Hæc autem civilis scientia et cum ceteris plurimum convenit, et eamdem viam sequitur. Cunctæ enim illæ scientiæ objecto una fiunt, et cunctæ quiddam contribuunt in hujus scientiæ synthesim quæ recte vocanda est : *hominis historia naturalis*, seu *anthropologia*. Atque adeo nova illa disciplina experientia progreditur. Itaque et præsentia notat, cum homines indagat qua lege in hominum commercio utantur ; et præterita colligit, cum, monumentorum et omnium quæ supersunt testimoniorum ope, hominum commercia et consociationum transmutationes describit. Ergo huic scientiæ dimidia pars studiorum historia constat : inde patet quantum scientiæ civili civilis historia prosit ; inde quanto præstet Vicus Cartesio quod ad humanam naturam attinet describendam.

Verumtamen neapolitanum philosophum sibi quodam loco contradicentem non immerito censor animadvertat ; qui, postquam criterium certi posuit verum ex causis probandum seu faciendum, et ex eo collegit solam vere scientiam mathematicam esse, quod illam solam mens humana simul facit ac pernoscit, cum *civilem* scientiam criterio suo connectere velit, prisci sui scientiarum ordinis oblitus, cunctis scientiis ne excepta quidem geometria illam rerum congruentia præstare profitetur. Quo Vicus verum quid supra modum amplificat. Nempe ipse alio loco confitetur nullum incertius opus evadere quam si *a priori* statuere adoriamur, qua lege ac ratione homo, cum quid agit, regatur. Quo spectat is sermo nisi ut eam, quam *civilem* scientiam vocat, experientiis promovendam faciat, et ideo non tam mathematicæ quam physicæ methodo ac certitudine congruentem, imo physica inferiorem, cum difficilius de ea experientiis utamur ? Idcirco detrimento nullo parum æquam hanc veri faciendi criterii deductionem

Vicus rejecisset ; et observato priori scientiarum ordine ex abstractionis gradu sibi succedentium, multo rectius civilem scientiam ethicæ, cui omnino convenit, conjunxisset, et in postremo loco, cum corpori mens humana penitus adhæreat, restituisset.

CONCLUSIO

Jam nunc explorate dijudicandum est, jurene an immerito Vicus, hoc incipiente libro, singularis Cartesii adversarius dici potuerit. Propriis antiquitatis studiis ad illud certamen adductus, dum platonicis argumentis et « verum primum » e conscientia collectum et claram ac distinctam ideam criterium veri factam impugnat, ipse de Deo primo vero et de faciendi veri criterio nova ingeniosaque profert ; essentiam rerum, quam in extensione vel in cogitatione falso Cartesius ponebat, extensionis ac motus virtutibus seu metaphysicis punctis constare Vicus profitetur ; in iis scientiis, quæ experientiam requirunt, inductionis partes a Cartesio nimium neglectas vindicat ; postremo de homine, quem ab hominibus sejunctum gallicus philosophus vel metaphysico vel anatomico labore considerabat, novam scientiam neapolitanus meditatur, qua humanarum consociationum leges inveniendas sibi proponit, et pro tempore insignia conficit. Hujus vero conflictus quis exitus fuerit, concludendi gratia paucis manet requirendum.

Tempora, patria, facultates, indoles scribentem Vicum impediebant ne apud æquales auctoritate magna vigeret. Initio enim decimæ octavæ ætatis, jampridem Italia pristinam suam philosophandi laudem amiserat : cujus consis-

tebat omnis philosophica cura vel in exornando prisco scholasticorum ædificio, vel in iis accipiendis quascumque tunc extraneæ nationes, et præsertim Gallia, novas doctrinas proponerent. Ideo amborum, quos in hac ætate præstantissimos philosophia viros Italia habuerit, Fardellam Gerdiliumque, alter leibnitianus fuit, Malebranchii sectator alter. Contra Vicus novator exstitit : novator quidem modicus facultatibus, indole timidus, qui non tantum cuivis Sarpio vel Jordano Bruno audacia cederet, sed etiam Galilæo. Cujus timiditatis sane adversa fortuna alia causa erat : alia nec tenuis causa quod de iis quæ meditabatur, principio certus non omnino constiterit, qui novam illam suam scientiam ut ad summam perfectionem duceret, fere quadraginta annis indagando perseveravit. Adde huc quod et firmiori proposito et ampliori opere philosophico Cartesius adversario præstitit, et scientiæ causa plus fecit. Postremo insignia illa nova concepta, quæ hic illic in operibus Vici sparsa reperiuntur, jacent tamen tanquam inculta prædia quæ solertioris agricolæ manum exspectarent.

Ergo omni ratione, in illo certamine quod adversus Cartesium conseruerat, Vico inferiores pugnandi conditiones obtigerant; quapropter adversario suo paulum nocuit. Sero tantum, annis currentibus, et labentibus quibusdam Cartesii doctrinis, sejuncta Vici placita, ab aliis suscepta, in lucem prodire inceperunt. Quam miro fortuitoque modo Kantius et anticartesianis argumentis et propriis excogitatis cum eo congruerit, opportuno loco fuit notatum. Quod ad illam idearum ac punctorum philosophiam spectat,

ejus vestigia usque in Giobertianis atque in Rosminianis recentioribus ontologicis placitis reperias. Præterea quod ad civilem humani generis scientiam attinet, Neapoli et in Italia Vicus fecundam ingeniis impulsionem dedit, quæ, eo vivente jam exorsa, postea perstitit, et hodie nondum evanuit. Etenim et Genovesius Vici discipulus, et Filangerius et Marius Paganus ætate decima octava scriptorum seriem producunt, qui Neapoli de re civili disseruerint ; quibus decima nona ætate in Italia multi alii successerunt. At ea tempestate, præstantissimo historia viro Micheletio juvante, ultra montes Vici philosophia innotescere incepit, et recentioribus illis, qui tunc et in Gallia et in Germania « socialem » scientiam condebant, fortasse animadvertendum fuit, sibi ætate præterita eum antecessorem exstitisse, qui Cartesio sincerus sed infelix adversarius olim obstiterat.

VIDI AC PERLEGI
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XIII Kal. jun. ann. MDCCCLXXXIX
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. HIMLY

TYPIS MANDETUR
Academiæ Parisiensis Rector
GRÉARD

INDEX

Prooemium.
I. Litis origines : prima Vici studia.
II. Quem locum cartesianus conflictus in Vici mente scriptisque obtineat.
III. De certitudine ejusque criterio.
IV. De methodo in metaphysica.
V. De methodo in scientiis quæ experientia promoventur.
VI. De methodo in *civili* seu in hominis atque humani generis scientia.
Conclusio.

13,631. — Bordeaux, Ve Cadoret impr., rue Montméjan, 17.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE
APR 5 1952			